

## §. XXIII.

Officium Fiscalium inferiorum.

**R**EQUI inferiores Fiscales, & executores Ecclesiarum, extra Episcopalem Curiam residentes, sedulo inquirant, qui sacrum non audiant, aut festa non colant, aut in Ecclesia irreverenter afflant, qui publice peccatis sordidati, & alijs vitij, in Edictis generalibus, & titulo de ferijs expressis, contaminati sint. Videant etiam, si tabernæ, cauponæ, aliæve publicæ domus apertis januis patent, in eisque esculentæ, & poculenta festis diebus, dum Missarum solemnia celebrantur, divenduntur. Si decretis precibus in processionibus decenter incedunt. Quidquid vero in his omnibus culpa invenerint, Vicarijs nuntient, ut quod sibi injunctum est, exequantur. Ne in his negligenter se gerant, aut cum aliquo colludant, aut pecunijs directe, vel indirecte corrumphi patiantur, nec dona, aut munera, aliudque quidquam ab hominibus sui districtus accipiant, sub pena reddendi in quadruplo, & a Judicibus arbitrio suo usque ad privationem officij puniantur.

## §. XXIV.

De rebus parvi momenti accusationem non instituant.

**N**ON Fiscales prædicti, quovis quæsito colore, cævillationes querant, ut de rebus levissimis, & nullius momenti denuntiationes dent, nec eas Judices, aut Vicarij admittant, quod si commiserint, tanquam calumniosi accusatores penas luant.

TIT.

## TITULUS X.

De Officio Notarij, &amp; de fide Instrumentorum.

## §. I.

Notarij juramentum praesent.

**N**OTARIJ Ecclesiasticorum Tribunalium hujus Provinciae, & Tabelliones, qui Receptores vocantur, ante ne accipientur, quam Episcopis, eorumque Judicibus fidelitatem, & obedientiam jurejurando promittant, itemque jurent se Decretis ab hac Synodo editis obtemperaturos, neque jure salarij, quicquam aliud accepturos, quam quod fuerit taxatione præfinitum. In loco ad audiendum causas deputato, per tres ante meridiem horas, tresque alias post meridiem saltem afflant, ibique ipsimet per se negotia cum Judicibus expediant. Quoties statutis Curiæ diebus absint, pondo uno mulctentur, quod si ex justa causa adesse non possint, de ea Judices certiores faciant.

## §. II.

Examinentur Notarij.

**N**Otarij, quos Vicarij in casibus sue jurisdictio-  
nis, & commissionum adhibere debent, ante ab Episcopo examine probentur, juxta Concilij Tridentini Decretum, nec priusquam ab Episcopo in scriptis facultatem deferant, acta illa recipiant, quod si receperint, irrita sint, & nulla. Vicarius vero, qui huic Decreto non steterit, quoties contravenerit, pondo octo mulctetur, quorum tertia pars nuntiatori apli-

Guadix tit. 8. a  
conf. 15. Gran-  
de Offic. Nota-  
rij. & fid. instru-  
ment. Milan. 1.  
tit. de Notarij,  
& scribis, & 3.  
fol. 603. cù seq.  
& 4. 3. p. tit. de  
foro Episcopali,  
& 5. tit. de Com-  
cellario, & Nota-  
rij. & tit. qua  
gratis in Cancel-  
lario.  
Sex quotidie ho-  
ras in Tribunalis  
afflant.

Seff. 22. cap. 10.  
Mæsec. 1. c. 89.  
§. 1. & Compos.  
act. 3. c. 26.

X 2

pli-

## §. XXXIII.

*Testium depositionem illico integrum scribant.*

**N**otarij, Receptoresve mandatum, aut testis depositionem per notas sub compendio ne suscipiant; haec postquam testis semel fuerit examinatus, ejus dictum extendant, sub pena annuae suspensionis ab officio si id primo commiserint; si vero bis deliquerint, officio priventur.

## §. XXXIV.

*Nihil, donationis titulo, a litigantibus accipiant.*

**N**otarij, aut eorum Ministri, necnon Receptores dona ulla, pecuniasve, aut gemmas, aut esculetta a litigatoribus ne accipiant, nec eorum, aut consanguineorum domus adeant, hospitij causa, nec eorum convictores sint. Si quid vero hujusmodi acceperint, in duplo reddant, eaque sit ad hoc sufficiens probatio, quæ ex constitutione legum hujus Regni recepta est.

## §. XXXV.

*Quid ipsi faciendum circa monitoria?*

**E**xcommunicationum litteras, sine consensu Episcopi, aut ab eo expressam autoritatem habentis, Notarij signo suo ne communiant, aut se illis subserbant, sub pena pondo decem expensis pro administratione Justitiae, nuntiatori, & pauperibus distribuendorum. Quando autem facultate (ut dictum est) præcedente secundas denuntiatorias dederint, primas monitorias recuperent; quando vero tertias contra participantes expedierint, primæ, & secundæ

*Mexic. I. cap. 5.  
Granat. titul. de  
fententia Excom-  
municationis, n.  
10.*

fi-

similiter apud se remaneant. Is porro ordo servetur in omnibus alijs litteris expediendis, quarum nullæ apud litigatores remaneant, nisi aliud Episcopo videatur, sub pena quatuor pondo auri communis, sumptibus pro administranda Justitia applicandorum, hujusmodi autem litteræ, ad præscriptam ab hac Synodo formam, expediantur.

## §. XXXVI.

*Hujusmodi non, nisi typis impressæ, vulgentur.*

**Q**UOD, ut executioni mandetur post præsentium Decretorum publicationem, litteræ prædictæ impressæ evulgentur, eaque solum expediantur, ut autem registrum Ordinum diligenter conficiatur, multisque incommodis obviam fiat, quæ alias ori possint, Notarius, seu Secretarius, ad id deputatus omnes ad Ordines promotos in registro scribat, in quo ordinatorum nomina, parentes, oppidum, Diccesim, Ecclesiam, ubi Ordines celebrati sunt, titulos præterea, ad quos fuerit promoti cum testibus, die, mense, & anno describat, ipseque, & Examinateores se subscribant. Hoc itidem registrum in Archivio Cathedralis Ecclesiæ, cum alijs ejusdem scripturis, servetur: nullæque deinceps testimoniales litteræ dentur, nisi ab hujusmodi registro, ut præfertur, subscripto, exemplum desumatur, sub pena minarum pondo duorum, quæ fabricæ Ecclesiæ Cathedralis, & accusatori æque applicentur.

*Catalogum  
conficiant ad or-  
dines promo-  
rum.*

## §. VII.

*Ne cuiquam, nisi parti mandata quedam executoria tradant.*

**N**E mandatum executorium cujuscumque summariae, nec Decretum de immittendo in possessionem, nec mandata sequestri faciendi, pignora capiendi, brachij Secularis auxilium implorandi solicitatori, Tabellioni, aut ullicuiquam tradant, sed parti petenti, aut nostro executori, vel Judici Seculari, in casibus per hec Decreta concessis, nec illi mandata hujusmodi scribant, sub pena quatuor pondo ab utroque incurnda, si semel perpetratum id fuerit, si vero bis, dupli pena imponatur, & sic deinceps habito respectu poenae, usque ad suspensionem augeantur.

## §. VIII.

*Non nisi a parte, aut Advocato noto subscriptos libellos in causis Fiscalibus recipient.*

**I**N causis Fiscalibus, alijsve quibuscumque, libellos, nec articulos ullatenus recipient, nisi a parte, vel a Jurisconsulto cognito subscripti sint, nec petitio nem conclusionis in causa, nec ullam aliam, quæ negotium principale tangat, nisi sit petitio termini, processusve, aut actorum Judicij sub pena unius pondo, & damnum persolvant.

## §. IX.

*In causis, que pondo decem non excedunt, summarie procedatur.*

**I**N causis decem pondo de Tipuzque non excedentibus, sine processu, & figura Judicij proceda-

IV

tur,

## &amp; de fide Instrumentorum.

sur, ac veritate summarie comperta, Judices ad per solvendum debitores coerceant. Si quis a debitore receperit, quod sibi non debebatur, illud cum duplo reddat. Iis vero in casibus petitio, condemnatio, aut absolutio in scriptum tantum referantur. Nec libelli admittantur, nec pro hac scriptura ultra duorum regalium mercedem Notarij exigere possint.

## §. X.

*Bullas, & omnes Scripturas apud se retineat: & non nisi apographa, bene cum autographis collata actibus inserat.*

**L**itteras Apostolicas, mandata, aliasve quascumque originales scripturas a litigatoribus productas, & sententias Notarij apud se retineant; ac tantum exempla cum originalibus collata in processu habeant, sub pena unius pondo, ad damnumque teneantur, casu quo hujusmodi documenta fuerint amissa.

## §. XI.

*Autographa eidem reddit, qui eademmet produxit, si pe-  
tit, & adversarius non reclamet.*

**P**RO singulis chartis exemplorum, a litigatore scri- pturas has producente, stipendium exigat Notarius juxta taxationem, quod si originales praedictæ a parte producente repeatantur, adversario non reclamante, productori tradantur, exemplo cum originali collato in processu prius relicto, & adversario etiam citato. Si vero scripturæ de falsitate arguantur, idque jurejurando affirmetur, Notarij unicuique partium, & earum Procuratoribus, & Advocatis originales ostendant,

V2

*Conc. Milan. 3.  
fol. 603. verb.  
causa que, &  
est lex Regia 19.  
tit. 9. lib. 3. re.  
copil.*

dant, eisque trasumptum scripturarum dent, cum die, mense, & anno, ut de jure suo allegare possint.

## §. XII.

*Informationes summarias autographas nemini tradat.*

**I**Nformationes summarias originales ne tradant, nisi exemplum in publica forma cum originali collatum relinquatur, & pro ut in titulo de probationibus continetur.

## §. XIII.

*Acta omnia in tabulario collocet.*

**N**otarij omnes actorum, scripturarumque per eos receptarum Protocollum habeant, acta, ut alia quævis instrumenta, sive judicialiter, sive extrajudicialiter in toto, vel in parte recipient, charta alba, & inscripta remanente, sed omnia statim in scriptis compleant, & ad longum extense scribant, sub pena si id semel commiserint pondo trium, si bis, duplum, & sub alijs præterea poenis judicium arbitrio infligendis.

## §. XIV.

*No partibus invitis Procuratores ingerat.*

**N**e molestijs, aut favoribus litigatores impellant; ut illis moremgerendi gratia, Procuratores, aut Advocatos, inviti deligant, sin minus, pro qualitate delicti puniantur.

## §. XV.

*Sententias nondum publicatas, ne revelet, easque manu propria scribat.*

**S**ententias, usquequo proferantur, ne revelent, eas ipsi propria manu scribant, si contra, a Judicibus puniantur.

## §. XVI.

## §. XVI.

*Expensas supra taxam ne exigat: & in actis ipsis, quod acceperit, scribat.*

**T**AM pro petitionibus, instrumentis, processibus, & probationibus, quam pro scripturis, que ab eis confectæ, vel coram eis productæ sunt, quicquam aliud non accipiant, ultra id, quod a Judice, vel a Persona ad id deputata præfinitum sit, aut juxta hujus Synodi taxam æstimatum, & in actis, quod pro mercede acceperint, conscribant, fidemque faciant, præsente eo, qui persolvit, litigatore, qui se subscribat, ipso vero nesciente subscriptionem facere, id ejus Procurator præster, sub pena reddendi quadruplum, si semel fecerint, si bis, duplo multentur, ac multæ pars tertia nuntiatori applicetur.

## §. XVII.

*Pro litteris dimissorialibus expedientis quatuor regales accipiatis, & non amplius.*

**N**otarij, circa dimissorialum, seu testimonialium litterarum mercedem, Sacri Concilij Tridentini Decretum servent, sed quia ubi pro Officio exercendo, nullum sibi est ab Episcopo salarium constitutum, idem Concilium decimam tantum unius aurei partem, accipiendo facultatem tribuit; hæc Synodus arbitratur, ut ratione hujus decimæ partis, quatuor tomines tantum in hac Provincia accipient, si quid amplius, teneri in conscientia ad restitutionem decernit, præterea poenis a jure statutis juxta prædictum Decretum punientur.

## Z

## §. XVIII.

*Seff. a. l. cap. 1.*

*Conc. Composit.*  
ad. 3. c. 8. Mi-  
lan. 3. fol. 603.  
verb. pro singu-  
lis, & 4. tit. de  
benefic. collatio-  
ne, ac provisione  
fol. 645. verb. ut  
Averitia, & Cö-  
cil. Vallisoletanum lib. 1. tit. 5.  
conf. 3. fol. 49.

*Publicis pœnitentijis ipsimet interfint.*

**E**xecutioni pœnarum, & pœnitentiarum sollemnium ex delicto, Notarij principales, una cum executori Tribunalis Ecclesiastici præsentes interfint, ipsique, aut Parochi, in eorum præsentia in Ecclesijs, ubi hujusmodi sit executio, ejus causam, & rationem Populo denuntient, juxta seriem sententiarum contra reos latæ, nec quemquam ad id in sui locum substituant, quod si semel contra fecerint, pondo uno mulcentur, si bis, duplo magis, si ter, usque ad privationem officij arbitrio Judicium pœna accrescat.

§. XIX.

*Pro actis custodiendis, querendisve nihil accipiat.*

*Lex Regia 17.  
titul. 20. lib. 2.  
recopil.*

**N**ihil mercedis pro custodiendis, ordine disponendis, querendisve processibus accipiant, aut eorum Ministros accipere permittant, sub pœna reddendi duplum, cuius tertia pars delatori tribuat, nisi processus, aut finiti jam sint, aut adeo ab antiquo pendent, ut Judices arbitrio pro illis inventi, quicquam mercedis constituatur.

§. XX.

*Pro scripturis, aut instrumentis in linguam alteram traducendis nil amplius accipiat.*

**P**RO scripturis, quæ in vulgarem linguam transferuntur, si pro ipsis antea stipendia soluta sunt, quamvis cum Interpretis juramento denuo producantur, nihil quicquam salarij accipiant, immo ad effectum hujusmodi utraque scriptura, tempore produ-

du-

*& de fide Instrumentorum.*

81

ductionis, & executionis una tantum sentiatur, sub pœna quadrupli, cuius tertia pars nuntiatori applicetur.

§. XXI.

*Cum scripturarum testimonia tradat, originalia retineat.*

*Lex Reg. 12.  
cum seg. tit. 25.  
lib. 4. recopil.*

**N**otarij, quando scripturas ab ipsis confectas, sanguino suo munitas tradiderint, earum Protocollum cum subscriptione partis apud se retineant, quæ in re omnes servent, quod Notarijs Regijs præceptum est, sub pœnis eisdem impositis, juxta horum Regnorum leges, Protocollumque habeant anno rum ordine, & Alphabeto distinctum, ut solent Notarij, sub pœna pondo viginti.

§. XXII.

*De Visitatoris, ejusque Notarij salario curam gerant.*

**S**i apud Notarios Ecclesiastice Curiæ, incepta aliqua in visitatione negotia expediantur, exigant etiam Visitatoris, & ejus Notarij salario, eisque infra diem statim a reditu visitationis persolvant, sub pœna dupli.

§. XXIII.

*Idem circa Vicarios, eorumque Notarios.*

**I**n negotijs, quæ a Vicarijs ad Officiales deferuntur, Notarij in testimonialibus delationis, litigatoribus concessis, taxationem expensarum describant, Vicarijs prædictis, eorumque Notarijs debitарum.

JIVXX

Z2

§. XXIV.

## §. XXIV.

*Non plus exigant mercedis, quam debeat, si instrumentum aliquod produxerint.*

**S**i ad usum unius tantum instrumenti totus processus producatur, nihil aliud accipiant, quam quod pro illius instrumenti productione debetur, sub pena reddendi duplum.

## §. XXV.

*Notario mortuo, aut ab Officio remoto, Judex ipse curam tabularij gerat.*

*Lex Reg. 24. tit.  
25. lib. 4. recop.*

**Q**uando Notarius aliquis Curiæ Episcopalis mortem obierit, aut ab Episcopo, vel ejus Officiali fuerit dimissus, Judices Protocolla, & scripturas custodian, ut est per Legem Regni dispositum.

## §. XXVI.

*Qui Notario successerit in Officio, tabularij curam in se recipiat, inventario confici.*

*Lex Reg. 31.  
titul. 20. lib. 2.  
recopil.*

**N**otarius vero in ejus locum sufficitus, facto inventario, illa recipiat, ut ipse deinceps de scripturis hujusmodi prædecessoris sui, si petantur, rationem reddat, ad præscriptum ejusdem Legis, & pro Notarij mortuï, vel dimissi Protocollis, ei aut ejus uxori, sive filiis summam, de qua convenienter perfolvat, qui si discrepaverint, æqua moderatione adhibita, eos Judex concordet, omni appellatione remota, quia gratis, & sine ullo præcio ad hæc officia ipsi deliguntur.

## §. XXVII.

*Mulctas, aut res depositas in se ne recipiat.*

**M**ulctas, aut quevis alia deposita jussu Judicium facta, Notarij in depositum ne recipient, sub pena decem pondo quoties fecerint.

## §. XXVIII.

*Notariorum Receptorum delectus, & qualitates.*

**I**n omnibus Ecclesiasticis Curijs hujus Archiepiscopatus, & Provincie, ut commodius fieri poterit, Tabelliones, qui Receptores dicuntur, duo sint timoratae conscientiae, homines idonei, usi, & experientia in negotijs exercitati, in examinandis testibus periti, secreti amatores, atque fideles, qui ab Episcopo, sive ejus Officiali examinantur, ab eisdemque deligantur, & deputentur, ut per spatium unius anni, vel minus hoc Officio fungantur, ad Episcopi, seu ejus Officialis arbitrium.

## §. XXIX.

*Quid possint ibi gerere?*

**H**IS autem Receptoribus, si litigatores petierint, vel Judices ita sentirent convenire, pro opportunitate negotij, probationes eæ committantur, quas Notarij recipere non valent, nullasque alias faciant, nec in plenario, nec in summario judicio, quam quæ sibi ab Officialibus injunctæ sint; etiam ex commissione Vicariorum denuntiationes nullatenus faciant, nec ab eis facta admittantur. Ipsi, aut alii per eos, in quacumque causa delatores esse non possint; probationes per eos factas, ante publicationem directe, vel indirecte ne revelent, & si in aliquo huic Decrèto contravenerint, per semestre suspendantur.

Si bis, Officio priventur. Quando vero Visitatores extra, vel intra Cathedram Ecclesiam visitaverint, Receptores hujusmodi Officium Notarii vicissim exercere poterunt, ab antiquiori incipiendo, nisi aliud Episcopo videbitur. Eo tamen anno, quo Officium hoc obierint, ratione salarii, illud accipient, quod solent Notarii visitatoris, itidemque, quod juxta taxam sibi constitutum est. Processus visitationis coram eis confecti, cum primum terminati sint, Visitatoribus tradant, a quibus juxta ordinem, titulo de visitationibus prescriptum, custodiantur; Notarii, & Receptores non solum ipsi per se, quando sibi commissum fuerit, testes examinent, sed etiam eorum dicta propria manu scribant, neque id per suos Ministros, aut coram eis faciant, que, postquam scripta sint, usque ad publicationem clausa, asservent. Si vero ipsi absentia, senectute, ægritudine, aut alias legitime impedianter, quominus scribere possint, alius ex Notariis, vel Receptoribus a Judice cause, ad id delegatur, & deputetur, ipsis inter se circa sua salario convenientibus; hujusmodi autem dicta testium, sic scripta Notario originario tradantur, ut ea ad superscriptam formam custodiat. Quod si id adimplere semel negligenter omiserit, pena trium pondo subjaceat, si bis, pondo sex, & suspensionis per dies quindecim, si ter, pondo duodecim, ac suspensionis per bimestre.

## §. XXX.

*Quid agere debeant, cum negotiis causa aliquo mittuntur?*  
**R**eceptor aliquo ad probationem recipiendum

riturus, prius ne mittatur, quam ante Nota-

rium

titul. 20, lib. 2.  
recopil.

rium juret, se bene, & fideliter acturum, & equitem in ea commissione parti utrique servaturum, nihilque preter salarium, & quod sibi taxa constitutum est, accepturum, ad idque moram temporis opportunam tantum insumpturum, etiamsi a tempore cause præfinito aliquod superstet. Quod re ipsa adimpleat, nec a litigaturibus quicquam, etiam esculentum, accipiat, aut ad eorum domus hospitij causa divertat, si contravenerit, ultra perjurii penam, duplum restituat.

## §. XXXI.

*Pro testium examine in Civitate factio nil accipiant.*

**P**RO recipiendis testibus intra Civitates, ubi Curia Ecclesiastica residet, salarium ne accipient, nisi talis causa sit, aut tot articuli, de quibus interrogandi sint testes, ut in his laboriosissimam operam impendant, quo in casu, a Judicibus pro laboris merito aestimetur, nihilque aliud exigant, quam quod fuerit aestimatum, ac emolumenta sibi præfinita ex taxa, sub poena reddendi duplum; aestimatio vero hujusmodi juxta taxam fiat, quæ de hac re Notariis est constituta.

## §. XXXII.

*Si quid a litigantibus petant, quid, & quantum ipsis debeatur, declarent.*

**R**eceptores, aut Notarii, cum salario a litigatoriis petierint, manifeste declarent, quid sibi ab illis debeatur, nec pecunias aliquas postulent in partem plenariae solutionis, alias graviter usque ad suspensionem puniantur.

Aa 2

§. XXXIII.

Lex Reg. 18.  
titul. 20, lib. 2.  
recopil.

plicetur, Notariusque inhabilis ad Officij executio-  
nem efficiatur. Quæ omnia, quantum fieri poterit, ob-  
serventur, & ut observari faciant, Episcoporum, Vi-  
cotorumque conscientiae onerantur.

## §. III.

*Processum a primo libello colligant, in unumque  
compaginent.*

**A** Prima petitione, & primis actis litis, processum in unum colligant, ejusque chartas constuant, & omnia in illis ordinate disponant, petitionesque cum earum Decretis, & quicquid circa eas provisum fuerit, inferant; acta omnia, nullis in charta lacunis interpositis, describant, & intiment; diem quoque, mensem, & annum apponant, & cum opus fuerit, ipsi, & Judices se subscribant, & rubricis notent. Quæ omnia Notarij quotidie præsent, ne unius cauſe petitiones, & acta, cum alterius petitionibus, & actis involuta confundantur. Processus ordine dispositos semper habeant, & quæ fuerint a Jūdicib⁹ decreta, non in exceptorijs codicibus, sive manualibus, sed in ipsis processibus sint inserta. Si quid horum semel prætermiserint, duobus pondo mulctentur, si bis, duplo magis, & sic deinceps, crescente contumacia, pœna quoque pecuniariae accrescant, usque ad Officij suspensionem, quarum multarum tertia pars delatori tribuatur.

## §. IV.

*Processum, seu acta originalia paribus ne tradant.*

**N**E processum originali, ejusve transumptum ullatenus litigatoribus tradant, sub pœna trium pond.

*Processus reō  
ordine dispositos  
in tabulario col-  
locant.*

pondio quoties id fecerint, neque etiam Procurato-  
ribus, nisi de mandato Judicū. Si vero ne tradatur,  
Judices interdicant, ejusque copiam concedi oportet,  
Notarij ad Advocatos processum deferant, con-  
tentaque in processu ipsi Advocatis legant, ac secum postea reportent. Idque in scripturis originali-  
bus servetur sub eadem pœna.

## §. V.

*Neque Procuratoribus tradatur, nisi de Judicis man-  
dato, & folijs numeratis.*

**P**rocessus Procuratoribus minime tradantur, nisi Chirographo ab eis accepto, & foliorum numero in libro descripto. Quo stante Chirographo, a Procuratore, processus repetendus est, si autem dele-  
tum sit, repetatur a Notario, aut damnnum solvat, si processus denuo iterum fieri minime possit, oblatam-  
que petitionem Notarij ne recipiant, nisi allato pro-  
cessu, sub pœna pondo unius. Informatio vero sum-  
maria sine testium nominibus, aut Chirographo tradi-  
poterit, quæ tribui mandabitur in forma consueta,  
hoc est illius transumptum.

## §. VI.

*Testimonia, seu apographa authentica ne dent, nisi man-  
dato Judicis, securis irrita sint.*

**S**i litteræ alicujus decreti, aut provisionis in favo-  
rem alterius litigantium expeditæ, fuerint amis-  
se, alio similes decreto, aut provisioni conformes,  
inde, unde primæ emanarunt, transumptas eidem li-  
tigatori tradant. Quod tantum cum mandato Judicis  
sit, alias nullam fidem faciat. Si vero Notarius pro-  
pria autoritate tradat, pœnam trium pondo incurrat.

## Y

## §. VL

## § XXXVII.

*Quid facere debeant, cum ad censuras publicandas  
requirantur.*

**N**otarij omnes, tam Ordinarij, quam Apostolicj ad mandata aliqua intimanda, seu ad publicandum Censuras Excommunicationis, Interdicti, aut cessationis a Divinis, a litigatoribus, vel a Judice requisiti, pro ut eis iussum fuerit, id exequantur in calce mandati, intimidatione, & publicatione cum testibus, necond eorum subscriptione appositis. Quod si actorum hujusmodi transumptum petatur, illud dent de totius ratione negotij, ac responsione in eo descripsit. Si secus fecerint, graviter usque ad suspensio nem, & privationem Officij, pœnas dabunt. Prædicta vero publicatio e suggesto, seu alio commodiōri loco, ut ab omnibus ibi præsentibus audiatur, inter Missarum sollempnia, tempore Offertorij in Ecclesia fiat.

## §. XXXVIII.

*Unusquisque successori suo tabularium, inventario facio, tradat.*

**S**i quis alteri in Officio Notarij succedat, ei a prædecessore Protocolla, registraque omnia scripturarum, & negotiorum, quæ apud se retinebat, adhibito, inventario, in Episcopali Archivio reponendo, tradantur, idque ita facturos esse, cum ad Officium recipiuntur Notarij, jurejurando se obstringant. Secretarij ramen Episcopi eo nomine, ab eis confecta scripturarum regista successori ne dent, sed in Archivio Episcopali recondant.

## TITULUS XI.

De Officio executoris Justitiae.

## §. I.

*Clericum in Sacris constitutum nullatenus capiat, nisi  
de Episcopi mandato.*

**E**CCLESIASTICI executores, hisi de mandato Episcopi, aut ejus Officialis, quemquam in Sacro Ordine constitutum ne capiant, si tale delictum non fuerit, ob quod juxta juris, & hujus Syndici Decretorum formam, in fraganti capi possit. Nec etiā totam Civitatem, seu oppidum accurate perlustrant, explorentque, si qui Clerici vestitu indecenti vagantur, si arma gestant, aut musica instrumenta defterunt, si suspectas domos ingrediuntur. Quod si quemquam in aliquo horum crimine apprehendent, armis hujusmodi, instrumentis musicis, & indecenti vestitu sublatis, eum carcere includant. Si ipsa in die luce hæc evenerint, ante ingressum carceris, ad Officialis Episcopi captus deferatur. Si vero noctu, sequenti die Officialibus id notum fiat, ut reus convenienti carceris custodia detineatur.

## §. II.

*Infamiam Clericorum caveat.*

**Q**UOD adeo caute, & absque scandalo fiat, ne inde infamia oriatur, vinculis sine mandato Judicis non ligetur, sub pœna pondo sex, quorum tercia pars accusatori, reliqua sumptibus pro administratione Justitiae tribuantur. At si Clerici non ca-

*Late Sinod. Gra-  
naten. D. Petri  
Guerrero, tit. de  
Officio execu-  
ris Justitiae.*

*Executoris Of-  
ficium.*

plantur, vi resistant, Judicis arbitrio graviter poenas  
luant, si autem executores hujusmodi eorum crimi-  
na dissimulaverint, Officiorum inhabiles reddantur.

## §. III.

*Executoris emolumenta, & merces.*

**S**I aliquo diverterint alicujus executionis facien-  
dæ causa, ratione ejus solitum emolumenntum  
accipiant, si pro diebus singulis aliquod salariū eis  
constitutum non sit. In commissionibus vero sibi fa-  
ctis, salariū, ac tempus p̄ficiantur, atque expri-  
mantur. In actis autem, cum sua, & litigatoris sub-  
scriptione, si sciat scribere, si vero nesciat, cum Pa-  
rochi, aut eo absente, Sacrifice subscriptione scribant  
quidquid de re ipsa acceperint, si fecus fecerint, ejus,  
quod acceperunt, jacturam faciant, quamvis, se rece-  
pisse, negent, si vero quid amplius acceperint, cum  
quadruplo reddant.

## §. IV.

*Si unica profectione plures executiones faciat, salariū  
unicum percipiat, solvendum ab omnibus pro rata.*

**E**xecutores quicunque, Officij causa aliquo pro-  
ficientes, etiamſi varias executiones, & in  
diversis locis faciant, nihil amplius salariū ex aditu,  
& reditu percipient, quam quod pro itinere unius  
executionis debetur, idque pro rata in singulas exe-  
cutiones distribuant, quod, ut constare possit, in actis  
afferant fidem distributionis per eos factæ, & Apote-  
charum salariū juxta supra scriptam formam. Si ve-  
ro justum salariū excesserint, id, ut cum poena per-  
solvant, Jūdex p̄cipiat, & contra facientem qua-  
druplum solvere cōrceat.

## §. V.

## §. V.

*Partibus mandata ne revelet: ea etiam non excedat.*

**M**Andata capiendi, & exequendi, & alia facien-  
di, quæ ad suum spectant Officium, diligenter  
adimpleant, partibus, contra quas data sunt, nequa-  
quam nuntiantes. Neque in aliquo excedant ipſa ad-  
implentes, aliter enim p̄ qualitate excessus, arbi-  
trio Judicis punientur.

## §. VI.

*Laicos homines in executionibus faciendis non sibi  
adjungat.*

**E**xecutores Ecclesiastici ad Justitiæ executionem  
executores ſeculares comites ſibi non adjun-  
gant, etiam ſub p̄textu capiendi ſecularem Cleri-  
ci complice, niſi ad id expressum in scriptis man-  
datum, a Judicibus subscriptum p̄cedat, nec cum  
ſecularibus executoribus hujusmodi, Clericorum do-  
mos ingrediantur, aut inquirant, ſi fecus fecerint;  
Judicū arbitrio ſevere plecantur.

## §. VII.

*Ne dona accipiat. Nullum vexet.*

**N**Е dona, aut munera accipiant, neve quos com-  
prehenderint, aut comprehendere defiverint,  
vexent, aut molestent, nec ob aliquam aliam causam  
quæſtum aliquem injuria extorqueant, ſin minus Ju-  
dices arbitrio ſuo, uſque ad privationem officij pro  
qualitate culpæ, de eis poenas ſumant.

## Cc

## §. VIII.

## §. VIII.

*Mandata ad impariendum auxilium brachij Secularis, refrendare teneatur.*

**T**RE itidem teneantur, ad refrendandum mandata auxilij brachij secularis, a Judicibus, & Officiis data, ad eaque exequi faciendum, una cum executori seculari.

## §. IX.

*Executor juramentum praefet.*

**Q**Uando ad hoc munus recipiuntur, jurent de eo bene, fideliterque obeundo, & de observandis, quantum in se est Decretis, ab hac Synodo constitutis,

## TITULUS XII.

De Officio Custodis, & Custodia reorum.

## §. I.

*Ut Missa in carcere celebretur Dominicis, & festis diebus, ejusdem Custos curet.*

*Late Gran. Sy-  
nod. ut supr. tit.  
de Offic. Custo-  
dis, & Custo-  
diorum.*

**C**USTOS carcerum Ecclesiasticorum diligenter curet, ut in eis hora competenti, & decenti loco, Dominicis, & festis Missa celebretur, quam omnes audiant, ad idque Officialis Episcopi Capellani arbitratu suo deligat; cui ex multis Cameræ congrua eleemosina constituantur. Custos vero Sacerdotales vestes in arca nitidas assertet.

## §. II.

## §. II.

*Feminas a viris separatas habeat.*

**E**MINAE in carcere separatae a viris sint, adeo, ut cum illis commercium non habeant. Si quem vero in hoc custos excessisse repererit, vinculis coerceat.

## §. III.

*Incarceratis arma non permittat.*

**A**RMA offensiva, vel defensiva captis non permittat, si quis habeat, eorum jacturam faciat, & in usum pauperum carceris divendantur. Quod si negligenter in hoc custos se gesserit pro ratione culpe puniatur.

## §. IV.

*Cura Custodis circa carcerem, & incarceratedos.*

**C**ARCEREM clausum, & mundum a spurciis teneat, & detentos in carcere, diligenter, quantum fieri poterit, custodiat. EO ingredi mulieres ne permittat, nisi mater, soror, uxore alicujus vindicti sint; ea autem, in ejus cubicula ne intrent, sed cum eo extra cancellos ferreos colloquantur, nisi segregidine, impedimentove teneretur, quominus ad cancellos hujusmodi descendere possit. NOCTE in carcere feminæ non remaneant, nisi de Officialis Episcopi licentia, gravi urgente necessitate, sub poena duorum pondi quoties secus fecerint. Custos vero si semel mulier noctu in carcere dormiat, tribus pondo mulcetur, si bis, pondo sex, si ter, officio privetur, itidemque hi, qui carcere inclusi sunt, si Decretum hujusmodi semel violaverint, quatuor pondo, si bis, octo persolvant, si ter, strictiori carcere inclusi vinculis coercerentur.

Ce 2

§. V.

*In carceris visitatione incarceratorum catalogum  
Judici exhibeat.*

**A**D dies visitationi carceris indictos, custos ita se præparet, ut Cameram in loco carceris magis publico sitam sternat, sella, mensaque una, & scannis paratam. Indicem præterea eorum, qui jam diu, vel nuper in carcere detinentur, Judici offerat, ut juxta indicem hujusmodi, singulos ad se Judex vocet. Si quis vero sese occultaverit, eum Notarij Judici manifestent.

§. VI.

*Incarceratorum nomina, & causas in libro notet.*

**S**I quis se in carcere constituat, vel comprehensus includatur, custos in libro describat, hunc sibi in custodiam tradi, & cuius rei causa, & ad cujus instantiam captus sit, notet; itidemque efficiat, si quis, dum jam captus detinetur, sequestratus fuerit, quibus custos se subscriptibat, sub poena pondo unius cum dimidio, quoties in hoc negligenter egerit.

§. VII.

*Incarceratos non vexet, neque dona ab iis accipiat.*

**N**E a captis dona, munerae accipiat, neque eos vinculis injuste cōcerat, nec a vinculis magis, minusve solvat, quam mandato Judicūm sibi iunctūm sit, neque eis direcēt, aut indirecte molestias inferat, quas pecunijs, alijsve rebus redimant, sub poena restituendi quadruplum, si quid, sic iuste extorserit, idque juxta legum horum regnorum formulam probetur.

*Lex Reg. 7.  
titul. 2. lib. 7.  
recopil.*

§. VIII.

§. VIII.

*Nullum, postquam dimissus est, detineat expensarum pra-textu, si pauper ille sit.*

**C**apti, qui a carcere liberari jubentur, pro salārijs, aut expensis Ministrorum, ne detineantur, si ipsi pauperes esse juraverint, & Judicēs ita existimaverint, statimque dimittantur, nisi alijs de cauīs fuerint retenti, neque ab eis carceris custodes pignora capiant, sibi obligari faciant, aut fidejussores dare compellant, neque eos pro stipendijs hujusmodi ulla tenus vexent, sub poena pondo trium, quoties contrafecerint, idque servetur, etiamsi ob crimina in carcere conjecti fuerint, de quibus Judex, die visitationi carceris indicto, inquirat.

§. IX.

*Stipendiorum taxa in carcere publice affigatur.*

**I**N publico carceris loco index estimationis stipendiiorum, quæ custodes a captis exigere debent, ubi commode ab omnibus legi possint, clare, ac perspicue conscriptus collocetur, idque omnimodo, sub poena pondo sex, custodes adimpleant.

§. X.

*Quidquid carcerem spectat, diligenter conservet.*

**C**arceric vincula omnia diligenter custos asservet, & cum munus obierit, inventario, per antiquorem Curiae Notarium confecto, ea recipiat, eodemque etiam interveniente, cum munus peregerit, restituat. Fidejussores idoneos, spectataque fide pro-

Dd

*Lex Reg. 20. &  
21. tit. 12. lib. 1.  
recopil.*

96 Lib. I. Tit. XII. de Off. Cust. & Custod. reorum.

*Fidejussiones det, & juramentum praefit, priusquam ad Officium admissum.*

batos custos det, cum quibus ipse promittat, se Officio suo fideliter, & accurate functionum, & si quid

namni, carceri, vinculis, comprehensive evenerit,

reparaturum, aut si ratione Officij in aliqua pecunia-

rum summa fuerit condemnatus, eam persoluturum.

Ad hoc etiam, & ad Decreta hujus Synodi servan-

da, jurejurando se obstringat. Interdicit quoque

haec Synodus, ne custos carceris, aut alius ex ejus

familia, captis aleas det, aut ab eis strenas, aliudve si-

mile exigat, si vero secus fecerit, usque ad privatio-

neum Officij, pro ut delictum postulaverit, contra eum

procedetur.

*ad. 1. titul. de carceris custodi- bus.*

*Generalis Vicarius in carceris visitatione de bis omnibus inquirat.*

**A**dmonentur præterea Officiales, & Vicarij omnes, ut cum die Sabbato carcerem visitaverint, de hoc Decreto contentis diligenter inquirant, quidque custos cum vincis agat, & ad hoc potissimum incumbant, ut ad Dei cultum, & honorem muneri suo satisfaciant.

## TITULUS XIII.

### De Majoritate, & Obedientia.

§. I.

*Quid circa precedentias?*

**U**t pace, & tranquilitate concordes Ecclesiastici viri unum opus conflent, nullisque dissidijs inter se contendant, unicuique

jux-

Lib. I. Tit. XIII. de Majorit. & Obed.

97

juxta eam, qua eminet, dignitatem, aut juxta munus,

quo fungitur, honorem, locum, sedemque constitui

maxime necessarium est, eam ob causam Sacrosan-

ctum Tridentinum Concilium de Episcopis in hunc modum decernit Episcopis præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est, eique in Choro, & in Capitulo, in Processionibus, & alijs actibus publicis sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum au-

toritas. Qui, si aliquid Canonici ad deliberandum proponant, nec de re, ad suum, vel suorum commo-

dum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum con-

vocent, vota exquirant, & juxta ea concludant. Ne-

que vero ob id a Concilio Præbendatis, & Capitu-

laribus quicquam de sua dignitate detrahitur, aut de his facultatibus, quæ sibi de jure, & confuetudine competunt, & non adversantur Tridentino Conci-

lio. Quo vero ad ea, quæ in Capitulis Cathedralium decernenda sunt, recta, unanimisque sit omnium con-

spiratio; jubet haec Synodus, ut cum Episcopus, De-

canusve, aut is, qui præesse debet, Capitulum ad extraordianaria negotia convocaverit, in scheda vo-

cationis, etiam ea capita contineantur, de quibus de- liberandum est, quæ capita etiam ad Episcopum de- ferantur, nisi de re Episcopo, sive alicui ex Episco- pi familiaribus competenti, agendum erit; tunc enim solum Capitulares convocandi sunt, & ad præscriptum hujus Decreti instruendi.

*Sess. 25. cap. 6.*

*Conc. Provin. de Quiroga ad. 3. cap. 19.*

*Episcopo ubi- que primus lo- cus desur.*

Dd 2

§. II.

## §. II.

*Lites de precedentibus Episcopis dirimat absque appellatione.*

**Q**uoniam in frequenti Congregatione, ubi Ecclesiastici, Seculares, & Regulares conveniunt, nisi aliquis praesideat, cuius autoritate omnes in Officio continentur, dissidiiorum, ac tumultuum possit occasio suboriri, Sacrosancto Concilio Tridentino hæc Synodus inhærens, præcipit, ut quando in processionebus publicis, & in ijs, quæ sunt in tumultu defunctorum corporibus, de quavis præcedentia controversie oriuntur, eas Episcopus (amota omni appellatione) componat, non obstantibus quibuscumque, pro ut ejusdem Concilij Decreto, & Constitutione sanctæ memorie Gregorij XIII. hac de re editis, cautum est.

Sif. 25. c. 13.

Sif. 25. c. 13.

## §. III.

*Nullus Doctoris titulum, aut quempiam alium assumas, nisi prius offenderit Episcopo testimoniales litteras.*

Les Reg. 5. tit.  
7. lib. 1. recopil.

**S**tatuit præterea, ac mandat hæc Synodus, ne ullus Clericus cujuscumque conditionis Baccalareum, Licentiatum, Magistrum, Doctoretum in aliqua facultate se nominet, aut subscribat, in his locis, ubi de ejus gradu constare non potest, nisi prius Episcopo litteras testimoniales gradus hujusmodi ostendat, sub pena pondo centum auri, pijs operibus, Justitia sumptibus, & accusatori æque applicandorum; penis contra hos a Lege Regni statutis in suo robo, & firmitate permanentibus.

## LIBRI SECUNDI TITULUS I.

De Ordine Judiciorum.

## §. I.

*In Tribunalis ordo, & silentium serventur.*

**I**n locis ad audiendum causas deputatis, silentium, ordo, & obedientia servetur, in sedibus, & provisionibus ratione antiquitatis Officij Notarijs, & Procuratoribus honor deferatur; ac inter omnes summa sit cum modestia consensio. Quod si minus fecerint, Judicium arbitrio multentur, & usque ad suspensionem, & privationem officij puniantur.

## §. II.

*Nullus cum armis Tribunal ingrediatur.*

**N**ullus Curiæ Minister, Litigator, alijsve qui cumque intra Aulam, quo tempore audiencia celebratur, arma quæcumque secum habeat, & ut hoc servetur, opportuno adhibito remedio, Judge accurate invigilet.

## §. III.

*Pauperum Advocatus, ac Procurator designentur.*

**A**dvocatus, & Procurator deputentur, qui misericordium Personarum causas defendant, & salarium, quod sibi fuerit ab Episcopo constitutum, ex Camera percipient; hi vero illorum causas, quos ut

Ee

pau-

*Ex Granat. Sy:  
nod. tit. de Or:  
dine Judicior.*

*Ejemplo uniforme  
de todos los Tri:  
bunales.*